

cretionem hujusmodi symptomaticam, proindeque ob virtutis debilitatem, pessimam esse oporteat, Hipp. 3. de morb.

27. Ad modum solutionis quod attinet, solvitur pleuritis tripliciter, *coctione, permutatione & suppuratione*. *Cocta* namque materia, *nunc* paulatim per sputum, *nunc* criticè per sudorem, urinam, alium evacuat. Stante n. coctione, alius moderatè fluens omninò juvat.

28. *Permutatione* solvitur, cum *aut* in phrenitidem 6. in 6. Epid. cont. II. *aut* in peripneumoniam, 7. aph. 12. quod utrumq; pessimum est, transit, *est* & cum in delirium aut soporem migrat, *aliquando* in abscessum, *non raro* in empyema, quo de Hip. 5. aph. 8. & 15.

29. *Cognito* itaq; hoc modo quæ sit natura pleuritidis, quibusq; signis in quocunque individuo se prodatur, recta deinceps ad illius *curationem* Medicus se conferet, quod ita demum ritè facturus est, si medendi methodo instructus, non saltem *agendorum indicationes* eliciat, verum etiam indicatis suam cuique *materiam* sive ex *Chirurgia*, sive *Pharmacia*, sive *Dieta* petitam substernat.

30. *Indicant* à. in pleuritide præcipuè *dolor & morbus*, illiusq; *caussa*. Licet n. dolor symptoma sit, tamen quia rationem habet *τὸ κατὰ τὴν φύσιν*, ideo curationem ad se trahit, vigetque etiam toto morbi decursu, quandoquidem dolore non sedato, neq; revulsio, neq; evacuatio, neque ullum aliquod majorum præsidiorum commodè adhiberi queat.

31. Cæterum *sedant dolorem ἀνώδυνα* propriè dicta, veluti *Fomenta* humida ex decocto malvæ, althææ, chamæmeli, *Litus* ex ol. chamæmel: anethino, amygd. dulc.